Lipski Andreas
Episcopus Cracoviensis.

Gnieszkowius Laurentius: Illmo et Rdmo D. D. Andreae Lipski faustum ac felicem in suum Episcopatum Crac. ingressum — apprecatur. (1630)

Illmo & Rñd^{mo} Domino,

D. ANDREÆ

LIPSKI,

Faustum ac felicem

in suum Episcopatum Crac:

ingressum;

M. LAVRENTIVS SMIESZKOVVIC, *Philosophiæ & Medicinæ Doctor & Prof.*

Veteri ſuo Patrono;

magno affectu,

venâ licet impari,

(vt inter Medicinæ operoſa negotia)

lubens ac meritò

apprecatur.

Ode Monoc.

INgredere faustis ominibus & perge age
Extende virtutis tuæ almam gloriam,
Meritisq́ cumula cælitum aras & homines,
Votisq́ magnis omnium quæ te ambiunt
Assurge maior, ac diu senex tuis
Impone gestis grandibus fastigium;
LIPSCI *vetustæ Heroa laus prosapiæ,*
Carumq́ sidus naufragantis Patriæ,
Ornamen & iubar coruscum Ecclesiæ.
Vides vt alto gestiat præ gaudio
Effusa Princeps Ciuitas, & sancta gens
Mystæ verendi vasta compita impleant
Exemplar in suum tuentes gnauiter.
Vides vt Equitum rutilus ordo fulguret,
Sociaq́ Regum Cathedra vt exultet suo
Præsule sacrato, quàm STANISLAVS *Pontifex*
Am sancta cœli anima, sacra Lechiæ anchora,

Ad vsq; cæsa membra frustatim, arduus
Recti approbator, exprobrator quod nefas,
Lauit calenti purpurisso sanguinis:
Quam decoribus inaurauit auctis & magè
Virtutibus, ad omne subitum ille interritus,
Nec velut arundo cuilibet vento obsequens,
Sed cuius animus riguit ære triplici,
Magnus Sacerdos veritatis obrutæ,
SBIGNAEVS animosus loqui quod fas iubet
Procul animo ancipe, procul ambage variâ:
Aliæq; grandes nunc poli animæ, quibus erat
Mens limpida, impauidum cor, os iusti sequax;
Queis iste mundus, artium heu qualis faber?
Virtute cassa nomina & pro nucleo
Farctum putore corticem circumferens,
Mel ore stillans corde toxicum coquens,
Et pelle sola pulcher, indignus fuit.
Magnanime LIPSCI Corculis par veteribus,
Par seriosis absq; felle Catonibus,
Tua inter alias eminet, virtus tua hæc

Ceu Platanus inter arbores pulcherrimas,
Vt veritatis aureum caput abditis
Technis, scelestâq; in alios philautiâ
Orco sepultum animosus eruas, & hanc
Diuam tueri mordicus vel si ruat
Mundus, colorum inconscius non desinas;
Fuci osor, at virtutis antiquam in ideam
Sine specie sine cerussa amator acerrimus.
Macte hoc nouo ingenti bono diuine vir
Qui gemmeam normam vetustæ Lechiæ
Candoris & sine nube mentis masculæ,
Vbi cor & os vnam tenebant lineam,
Cum similibus tui sed infrequentibus,
Patriæ redonas; vt fuêre splendida
Fusa meliore de metallo tempora.
Nam (liceat, ah liceat queri) isto æuo cluunt
Ficti Sinones, mollicellæ simiæ
Virtutum, inertes malakiarum prodromi,
Aurum subæratum, gnathones maleuoli;
Agni foris at intus lupi ac pardi truces,

 Saui-

Sæuire in alienum decus nati, bonum
Euiscerare nomen infandis modis,
Deripere palmam cuiq;, sibi stolidè dare.
Quid alia? Sed nefas profanare hoc pium
Libamen animi sonticis ingratijs.
Tua Rastra, dia Rastra tua bene segregem
Faciunt leuem stipulam merum ac volatile
Ludibrium uenti, à graui, solido, vtili
Grano, quod agri & horrei decus vnicum est.
Tuum virile nomen ac genius tuus
Crustata quæq; despicax, purum putum
Sinceritate candicans amat & colit.
Iam culmi inanes, lolia, tristesq; tribuli
Metuite Rastrum, quod supremus Agricola
Examinandis destinauit horreis,
Vt æuiterna rideant granaria.
Testantur hoc tot templa, Christi hæredibus
Reuersa postliminio ab iniustis Heris,
Moresq; Cleri cyclicæ inserti orbitæ.
Quid CHOCIVM tuum, tuus meritis tuis
Nidus

Nidus beatus, vagientem vbi te audiit
Lar, & vbi dulce lucis hausisti decus?
Hîc hîc decorem tenerè amans Dei domus
Quantum paras thymiama honori Altissimi?
Quantamuè ponis artibus bonis dapem
Quas ardet ac sitit vnicè, publicum vtile?
Hilarabit isthæc ampla & excelsa pietas
Manes tuorum auorum, & altum seculum
Spectans aceruos commodorum Patriæ
Hinc vectigalem gloriæ tuæ feret
Æternitatis insepultam memoriam.
Proporro miratrix tui alti consilî
Respublica, extimans suo in animo tuas
Accessiones gloriæ meritissimæ,
Disponit inde accessiones proprias.
Tu cùm in Senati sessimonio tuam
Grauem catamq; prouehis sententiam,
Non gratiæ ancillantem, aut malè æmulam
Seu factionis seu quod ingenio adlubet,
Sed fortem & acrem & publico zelo igneam,

In qua

In qua regustare libet illud arduum
Prudentiæ sal, robur Eloquentiæ,
Et (vbi opus est) Pericle digna fulgura:
Quis Ciuium dum isthæc suis bibit auribus
Quis non sitiret LIPSCIOS *eimodi*
Plures, bene sit vt publicæ rei? LIPSCIVM *est*
Oculo præire animi mala ingruentia,
Proculq́; mæandris quibusuis liberè
Cordata sensa detonare, LIPSCIVM *est.*
Vox libera, est liberi animi certus comes,
Non obsequentis obsequi cui non licet,
Nec ambientis quicquam itinere deuio,
Soliq́; honesto postputantis omnia,
Quæ nil pauentem conscientiam arguit;
Quisquis premit quod sentit vtile, mancupi est.
Iam quando Themidi præfuisti publicæ,
Quid hîc loquar, aut vnde rem tantam ordiar?
Te te sigillum Regni ad ipsa mœnia
Smolenscia arcis quæsiit, vbi Principi
Comes fuisti bello atroci ac perfido.

Enim

Enim addecet, quod Plato diuinus iubet
Vt sparta quærat sibi virum, hanc non vir sibi.
Quis ergo quantusuè hoc fuisti munere?
Patuitnè pellaci dolo innocentia?
Grassatanè æqui nex perendinatio?
Datumnè minimum odio malo vel gratiæ?
Auditanè exitiosa muneratio?
Quid agere caussas sub te oculeo Iudice
Eratnè par impar ineptum ludere?
Aut rete hominibus pauperandis tendere?
Tu intaminatum examen æquilibrio
Legis verendæ ponderans, tabulis Iouis
Decreta digna pangis, & idem alios doces.
Ibunt in æuum tua volumina aurea,
Iustitiæ ocelli, veritatis lampades,
Iurisq́; labyrintho in vafro filum Thesei,
Gnomonq́; regulaq́; ratæ sententiæ:
Ibunt apudq́; posteros sese efferent,
Famaq; loquetur anus, gradibus aliquando iis
Præter varia legationum munia,
Penetrasse sellas ad Curules LIPSCIVM.

 Sed

Sed cùm vniuersi exultim agunt bona gaudia
Te Præsule suo, Academia id agit maxumè,
Antiqua Lechiæ Stoa, sacrum esse credita
Palladium eidem, quæ tot huic Regno viros
Talesq́ finxit non nouercali incude,
Qualis tuus erat, ille tu alter, TYLICIVS;
TYLICIVS *æterna idea Præsulis optimi,*
Magni Senatus Lechici inoblitum decus,
Cui detrahit quisquis satis non prædicat,
Quem Templa quem Scholæ loquentur perpetim,
Donecq́ stabit debet hoc Academia,
Tituloq́ eodem debet ipsa Patria:
Ex cuius ore hausimus id augustum melos;
Vellem meam altricem vnicã, hanc Academiã
(Aiebat amor huius Lycæi TYLICIVS)
Proferre nihilo disparem omnibus exteris
Academijs, vt quod graui dispendio
Quærunt foris ciues, domi habeant id suæ.
Hoc tu agere Præsul inclyte voles, & dabis
Veteribus animam spiritumq́ literis.
Nec sibi aliunde timet Athenæum inclytum:
Norat

Norat bene vetus Roma vires Punicas,
Neque ſtomachum ciuit Corinthus Ilio.
Sit modò, ſit ô dilecte Mecænas modò
Nouale Regni gratiæ, vnde pullulent
Didactra digna literis, quæ antiquitas
Arroſit, ac deduxit ad minutias.
Sed hæc & omnis ambienda fauſtitas
Depluet Olympo hucusq; non placabili;
Cùm tu Sacerdos magnus Aſtræa duce
Sacris præibis hanc per oram principem.
Te modò Supremus artifex vitæ Deus
Diu valentem ſoſpitet, vt olim ſenex
Redeas in aſtra ſerus; & cùm tibi ratum
Patrare adhuc multa æmulanda poſteris,
Fælix diurnes multo & alto ſeculo.

IESV CHRISTO Gloria & Gratia.